

## PROOEMIUM.

In praemissis, volumine primo, tribus disquisitionibus, ea, quae scientiae theologiae fundamentalia dici usus obtinuit, dilucidavimus, quantum scopo, hisce disquisitionibus praefixo, pertinere visum est. His ergo jactis fundamentis, vel potius, his apertis januis et stratis viis, per quas Sacrae Scientiae aedem ingredi oportet; primam nobilioremque divinae sapientiae aulam aggredimur conspiciendam, è qua ceterae pulchritudinem et honorem consequuntur: scilicet, primum de Deo O. M. et de iis quae Deum ipsum prope attingunt, agendum est; quod quidem secundum hoc volumen amplectitur. Deinde vero de reliquis, quae, vel quatenus a Deo fluunt, vel quatenus ad Eum ducunt et redeunt, scientiam hanc complect, Deo ipso favente, disseremus.

Ad disquisitiones, in hoc traditas volumine, Lectorem praemonitum velim; in testimoniis seligendis, praesertim sacrarum Scripturarum, non soli theses probandi necessitati prospectum esse; sed verbi quoque divini intelligentiae, ne ob ejus difficultatem, multi a Scripturis legendis, uti fieri solet, deterreantur; quae tamen, in Sacra Scientia, primas obtinent partes. Quod quidem adnotatum volui, ne aliquibus in probationibus, ampliores, quam oportet, sententias fuisse cumulas, existimetur: nam si quibusnam thesibus Prophetarum vaticinia lumen perfundant animadvertat Lector, deinceps experietur; non tantum magno scientiae profectu legi Prophetas posse, sed etiam eorum fata, quibus futurorum admonemur, magnum, in praesentibus angustiis, afferre solamen et delectationem. Unde fiet, ut libros propheticos, quasi penitus obseratos et tenebris opertos, minime intactos dimittamus et ignotos; sed iis, a Spiritu divino dictatis, grato animo perfruamur. Amice Lector, vale.

## DISQUISITIO IV.

### DE DEO UNO

seu

### De spectantibus ad Dei Naturam.

De Deo tractaturi, cum natura fons sit et origo omnium, quae in re quacumque apprehendere valemus, ab iis exordimur, quae ad Dei naturam spectare compertum est.

#### DIVISIO GENERALIS.

- CAPUT I. De Dei Existencia et Unitate.  
— II. De Essentia Dei et attributis.  
— III. De Scientia divina.  
— IV. De divina Voluntate.

#### CAPUT I.

#### De Dei existencia et unitate.

#### ARTICULUS I.

#### De existencia Dei.

#### THESIS I.

Deum existere fide est certum et ratione demonstrabile.

1. *Nota.* Prima theseos pars fide tenenda, imo totius fidei est fundamentum, adversus atheos: secunda autem est doctrina etiam fide catholica certa, post Vaticani Conc. definitionem; hanc tamen nonnulli ex antiquis negavere theologis, ac recentiores Traditionalistae.

Pars I<sup>a</sup> prob. 1.<sup>o</sup> ex symbolis fidei. «Credo in Deum...»

2.<sup>o</sup> Universae SS. Litterae testantur, *In principio creavit Deus coelum et terram* (1). Dominus Jesus Christus ait: *Haec est vita*

(1) Gen. I, 1.



*aeterna ut cognoscant te, solum verum Deum* (1). Et Paulus: *Crederet enim oportet accedentem ad Deum, quia est* (2).

2. Pars II.<sup>a</sup> prob. 1.<sup>o</sup> Conc. Vaticanum (3) definivit: can. I. «Siquis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis lumine certo cognosci non posse: anath. sit.»

2.<sup>o</sup> Apostolus (4) ait: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Manifestam ergo vocat Dei notitiam apud gentes; Dei virtutem ac divinitatem conspici, intelligi asserit; id autem per ea quae facta sunt compleri.*

3. 3.<sup>o</sup> Patrum fuit communis sententia, nec non Doctorum Scholasticorum. Justinus (5): «Unde sciri potest, sit ne Deus omnino? Ex eorum quae sunt constitutione et stabilitate.»

Gregor. Nazianz. (6): «Nimis absurdus et praeposterus est, qui argumentis naturalibus non cedit, et inficiatur Deum esse.»

4. Objic. 1.<sup>o</sup> Fides est *argumentum non apparentium*, Apostolo testante (7); è contra demonstratio est *apparentium*. Sed apparere et non apparere, de uno et eodem dictum, est contradictorium: ergo Deum existere credi simul et demonstrari non potest.

Resp. Dist. *min.* Apparere et non apparere, de uno et eodem et *sub eadem ratione* dictum, est contradictorium: conc. Sub diversa ratione: nego. Creditur enim Dei existentia sub ratione attestationis divinae; demonstratur sub claritate luminis naturalis.

Objic. 2.<sup>o</sup> Demonstratio fit ex principiis. Sed Dei existentiae non sunt principia; ergo Deum existere non demonstratur.

Resp. Dist. *maj.* Demonstratio a priori fit ex principiis; conc. A posteriori; subd. Ex principiis quae sint priora in essendo; nego. Quae sint tantum prima in cognoscendo; concedo. Ad *minorem* autem et *consequentiam* facile distinctionem deduces.

Objic. 3.<sup>o</sup> Inter esse finitum et infinitum non est proportio: ergo esse divinum ab effectibus dignosci nequit.

Resp. Dist. *ant.* Non est proportio comparisonis; conc. Dependendae; nego. Deinde dist. *conseq.* Dignosci nequit, quoad essentiae perfectionem; conc. Quoad existentiam; nego *consequentiam*.

Objic. 4.<sup>o</sup> Eatenus per effectus probaretur Deum existere, quatenus praeluceret relatio aliqua inter illos et Ejus existentiam: sed cognitio cujuslibet relationis praesupponit notitiam terminorum

(1) Jo. xvii, 3. — (2) Hebr. xi, 6. — (3) Const. *Dei Filius*, de *Revelatione*. — (4) Rom. i, 19, 20. — (5) *Ad quaes.* 6, *Gent.* — (6) Orat. 2, de *Theol.* — (7) Hebr. xi, 1.

ejusdem; ergo demonstratio existentiae Dei per effectus praerequirat Ipsius existentiae cognitionem, ideoque non erit demonstratio, sed forsitan reflexio quaedam.

Resp. Dist. *min.* Cognitio relationis praedicamentalis, praesupponit terminorum notitiam: Conc. *min.* Transcendentalis; subdist. Supponit notitiam aliquam terminorum indeterminate et confuse; conc. Aliter; nego. Sane ipsa natura et ratio effectus respectum importat ad causam aliquam; quae autem sit haec causa ratiocinio evolvitur.

## THESIS II.

Existit aliquod ens necessarium et aliqua prima causa.

5. *Nota.* Ens necessarium intelligimus, quod ita a se existat ut ejus essentiae repugnet non existere. Primam causam dicimus quae non sit causata, sed causans tantum.

Pars. 1.<sup>a</sup> theseos prob. Repugnat quod omnia entia sint contingentia. Sed si non existeret ens aliquod necessarium, omnia entia essent contingentia; ergo concedendum ens aliquod necessarium.

*Maj.* prob. Si omnia entia forent contingentia, aliquando omnia fuissent nihil, seu non extitissent. Sed repugnat quod omnia entia fuerint nihil, seu non extiterint: ergo repugnat omnia esse contingentia.

*Maj.* est evidens. Quod enim est contingens, seu indifferens ut sit, aut non, indiget determinari ut actu sit; ideoque ex se non erat seu nihil existerat: ergo si omnia entia forent contingentia, et nihil aliquando fuissent.

*Min.* quoque est evidens. Si enim *omnia entia* fuissent nihil, determinatio contingentium ad existendum facta fuisset a nihilo; sed hoc aperte est absurdum.

6. Prob. 2.<sup>a</sup> pars. Repugnat omnem causam esse causatam; ergo datur aliqua prima causa.

*Ant.* prob. Impossibile est quod sint causae et effectus sine sufficienti causalitate et efficientia. Sed si omnes causae forent causatae, nulla existeret sufficiens causalitas et efficientia: ergo omnem causam esse causatam repugnat.

*Min.* prob. Nulla esse potest sufficiens causalitas et efficientia, si nulli causae adest sufficientia ad existendum. Atqui si omnes causae forent causatae, nulli earum adesset sufficientia ad existendum: ergo non daretur sufficiens causalitas, si omnes causae forent causatae.

Confirm. Si omnes causae forent causatae; vel ab aliquo existente



extra illarum collectionem, vel intra, causatae fuissent. Si primum dicas, concedis, extra omnes causas causatas, aliam minime causatam. Si autem secundum cogites, habes causam se ipsam causantem, seu contradictionem apertam.

7. Objic. 1.<sup>o</sup> In serie infinita causarum productarum, nulla esset prima, seu improducta. Atqui quaelibet illarum haberet sufficientem causalitatem in priori: ergo non est necessaria causa non causata.

Resp. nego *min.* Prior enim causa non est sufficiens nisi ab alia id accipiat: ab alia autem accipere nequit, quia nulla sufficiens existit. Quod si series insufficientium causarum in infinitum, seu sine ullo principio, distendatur, non inde sufficientia, sed infinita insufficientia effingitur.

Objic. 2.<sup>o</sup> A sensu distributivo ad collectivum non valet consecutio: ergo neque licet inferre, totam seriem causarum efficientiam habere incompletam, quia singulae insufficientes sunt.

Resp. Dist. *ant.* Non valet consecutio in essentialibus; nego *ant.* Quia enim singuli homines sunt rationales, et omnes quoque tales erunt. In accidentalibus; subd. Si accidentia sint quantitativa; conc. Aliter; nego. Exempli causa: singuli sunt albi, vel sapientes: ergo omnes. Singuli non ferunt tantum pondus; non deducitur, ergo neque omnes. Jam vero dependentia causae productae adeo est intrinseca et essentialis, sicut essentialis et intrinsecum est, id quod causatur «ab alio causari.» Donec igitur pervenias ad improductam causam, eadem semper perseverat dependentia et insufficientia.

### THESIS III.

Ex hoc mundo aspectabili summa aliqua causa potentissima et sapientissima dignoscitur.

8. Prob. 1.<sup>o</sup> *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (1). Item: «*A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri*» (2).

2.<sup>o</sup> Clemens Alex. ait: (3) «Forte ne aggredi quidem oportet demonstrationem (de Dei existentia), cum sit manifesta Dei providentia..... Itaque populi omnes ad orientem et occidentem, ad boream et ad austrum, unam et eandem habent anticipationem de illo, qui hoc regnum constituit; siquidem universalissime ejus operationes omnia aequae pervaserunt.»

Athanasius (4) vero: «Res creatae, quasi litteris, sua disposi-

(1) Ps. 18, 2. — (2) Sap. XIII, 5. — (3) Apud Origen. *de Princ.* l. 1, c. 3. — (4) Orat. *cont. gent.* n. 34.

»tione et ordine dominum ac creatorem suum indicant et proclamant..... Saepe enim artifex, etiamsi ipse non videatur, ex operibus cognoscitur.»

Haec ad specimen sufficiant, cum sit una Patrum in hac re mens.

9. 3.<sup>o</sup> Ratio est obvia, quam quidem exemplo proponit et illustrat Greg. Nazianz. (1): «Neque enim quis videns citharam »pulcherrime elaboratam, ejusque concinnitatem et artem, vel ejus »audiens sonos armonicos aliud mente reputabit, quam citharae »artificem et citharoedum, et ad ipsum cogitatione feretur, etiamsi »de facie forte eum non novit: sic et nobis causa efficiens et movens »et conservans res effectas manifesta est, etiamsi mente non comprehendatur. Nimis enim stolidus est qui hucusque non progreditur sponte sua.»

Confirm. Argumentum hoc ex totius mundi ordine desumptum, ex singulis ejusdem partibus urgeri potest. Rerum enim materialium infinita pene varietas ex paucis elementis, tot plantarum mirum artificium, quarum classes, familiae, genera, species ex una et simplici vegetandi vi orta ingenium, vel imbecillitatem potius, torquent omnium sapientum; innumerae animantium formae, quarum alia mirae magnitudinis, alia mirae exiguitatis, exhibentia in suis organis, sensibus, instinctibus ineffabilis sapientiae ordinem; homines potissimum, tot ordinatissimis linguarum artificiis, scientiarum inventionibus, artium ornamentis et utilitatibus, et mentis, mundum universum ejusque Conditorum contemplantis, nobilitate et majestate, haec omnia et singula in Conditore rerum incomprehensibilem potentiam ac sapientiam praedicant.

10. Objic. 1.<sup>o</sup> Ex fortuito atomorum materialium concursu talem ac tantum ordinem ortum duxisse, putare possumus: ergo Dei existentiam non ostendunt.

Resp. dist. *ant.* *Putare possumus* stolidissime, et dementis more insanientes; permitto; mente sani, nego.

Objic. 2.<sup>o</sup> Plura conspicimus in rebus, quae prorsus inutilia, imo et ordini adversari videntur: ergo licebit ex istis, Auctoris rerum vel insipientiam vel impotentiam arguere.

Resp. Dist. *ant.* In rebus quas perfecte cognoscimus, plura conspicimus..... nego *ant.* In iis quae non satis attingimus; permitto.

Hoc passim accidit, ut stulti vel minus sapientes reprehendant sapientiorum, quae tamen prudentiores laudant et extollunt, opera. Aliqua tamen accidere, quae particulari alicui adversantur ordi-

(1) Orat. 28 (al. 34).



ni, non negamus; ordini vero universali convenire prorsus asserimus. Refert Aristoteles (l. 3, Rhet.), Socratem, lecto Heracliti, qui σκοτεινός, id est, tenebrosus et obscurus vocatus est, libro dixisse: «Laudo quae intelligo, laudo etiam quae non intelligo.» Quod rectissime dixeris de omnibus Creatoris operibus.

## COROLLARIUM.

11. Deum esse seu existere, ex duabus praecedentibus thesibus demonstratum deducimus.

Dei enim nomine, in horum argumentorum processu, intelligimus summum aliquod Ens, supremamque Causam, é qua dependent res ceterae. Quae autem sint illius summi entis perfectiones, utrum unicum existat, quae ejus sit essentia, aliis definiendum est rationibus.

## THESIS IV.

Dei existentia non est immediate nota.

12. Existimarunt nonnulli, qui demonstrari posse Dei existentiam negabant, adeo illam esse perspicuam, ut medio nullo amplius declarari possit: ideo *Deum existere*, veritatem esse *per se notum* asseriebant. Si ipsam quidem Dei essentiam perspiceremus, in ea immediate et ejusdem existentia eluceret; quia essentia et existentia nullatenus in Deo distinguuntur. Verum aliter se habet essentia Dei *quoad se*, et aliter *quoad nos*; seu, secundum conceptum abstractum et confusum mentis nostrae. Jam vero propositio, *Deus existit*, non est secundum ipsam Dei essentiam judicanda, sed secundum nostros conceptus; voces enim id significant quod concipimus.

13. Prob. 1.<sup>o</sup> Fieri nequit ut id quod est per se et immediate notum, puta, *totum est majus sua parte*, magnis ingeniis velatum appareat. Sed magna et acuta ingenia, ut D. Thomas, Suarezius, etc... asserunt. *Deum existere* propositionem esse immediate obscuram, et solum mediate apertam: ergo Dei existentia non est immediate evidens.

Prob. 2.<sup>o</sup> Immediatae et per se notae veritati contradicere, aut penitus non conformari, longe vituperabilius est, quam in aliis mediate tantum cognitis errare. Sed in SS. Litteris error ille summe vituperabilis nusquam reprehenditur; quod autem per *creaturam mundi*, et per ea quae facta sunt, Deum non cognoverint et a creaturis non distinxerint, id arguitur et quidem apud sapientes: ergo mediate tantum dignosci Dei existentiam, Sacra supponit Scriptura.

Objic. Docent plures Patres notitiam Dei esse insitam a natura, divinitus inspiratam, etc.

Resp. dist.; quatenus lumine rationis ex Dei operibus Deum existere edocemur; conc. Quasi immediate id apprehendamus, nego.

## THESIS V.

Dei existentia non est a priori demonstrabilis.

14. Nota. Adversus D. Anselmum aliosque doctores, hanc tuemur cum D. Thoma sententiam; quam, etsi facilius ea defendatur dissolvendo rationes, quae ad probandam Dei existentiam a priori adhibentur, tamen unico argumento prius confirmabimus.

Prob. Demonstratio a priori, ait D. Thomas (1), est ea quae procedit per causam, et dicitur *propter quid*, et fit per priora simpliciter, sive extrinseca, sive rei intrinseca. Sed Dei existentia nullam habet causam extrinsecam, ut patet; neque intrinsecam, quia idem omnino est in Deo essentia et existentia: ergo nequit Deum existere ostendi a priori.

Solvuntur argumenta quae a priori adhiberi solent.

15. 1.<sup>m</sup> Arg. Existentia Dei in conceptu ejusdem continetur. Sed quod in rei conceptu continetur potest a priori deduci: ergo.

Resp. Dist. *maj.* In conceptu continetur orto ex definitione rei; nego suppositum: procedente ex definitione nominis; conc.

Et dist. *min.* Si rem *ita esse* uti concipitur concedatur, seu constet; conc. Aliter; nego rem esse *talem* inferri.

2.<sup>m</sup> Arg. Deus est id quo majus concipi nequit. Sed si non existeret, quippiam Deo majus cogitari posset: ergo Deus existit.

Resp. Dist. *maj.* Deus, id est, vox *Deus* significat id quo majus... Permitto. Deus, id est, aliquod ens reale vel possibile est... Nego suppositum.

Dist. pariter *consequens*: ergo existit, id est, fingis, seu cogitas existere Deum; transeat: ergo existit in re, seu objective; nego consequentiam.

3.<sup>m</sup> Arg. Nullum bonum est chimaera. Sed ens carens omni defectu est bonum: ergo carens omni defectu non est chimaera; ergo est possibile: ergo existit, aliter defectum haberet.

Resp. Dist. *min.* Ens carens omni defectu est bonum, id est, concipitur ut bonum, ideoque non uti chimaera; conc. *minorem*.

Reipsa est bonum et non chimaera; nego, quia hoc est probandum, non supponendum.

(1) 1. p. q. 2, a. 2.



16. 4.<sup>m</sup> Arg. Immediate et perspicue patet ens infinitae perfectionis non repugnare, seu esse possibile. Sed nequit esse possibile quin existat: ergo revera existit. *Maj.* declaratur. Ut in aliquo conceptu sit repugnantia, debet affirmatio et negatio in eodem includi. Sed in conceptu entis perfectionis infinitae, nulla est negatio: pura enim et infinita perfectio nihil negat, nihil excludit, quidquid est positivum involvit. Ergo ens infinitae perfectionis est possibile.

Resp. Nego *maj.* Ad probationem autem, dist. *min.* Nulla est negatio explicita, conc. Implicita, nego. Quod autem pura et infinita perfectio nihil neget, nihil excludat, non patet immediate et a priori, nisi hypothetice; idea enim entis infiniti obscura nimis existit, ut possimus, utrum in eo conciliari possint perfectiones omnes, sive nobis notae, sive ignotae, perspicere. Nam quod formaliter convenire in unum omnes perfectiones nequeunt, omnes fatentur, estque manifestum. *Eminenter* ergo excogitari debent, ne aperta elucescat contradictio et repugnantia illarum. At numquid intelligimus clare et evidenter, quid sint perfectiones *omnes* in suo esse eminenti? Materiae perfectio *eminenter!* Extensionis, corporis, motus, appetitus, sensationis, etc., eminent perfectio! Hoc autem oporteret intelligere ut pateret clare et perspicue ac a priori, quo pacto in unum omnes possunt coadunari perfectiones sine mutua exclusionem. De hac re vide Suarezium in Metaphysica (1).

## ARTICULUS II.

### De unitate Dei.

#### THESIS VI.

Fide et ratione certo patet, Deum esse unum, seu unicum.

17. Prob. 1.<sup>o</sup> Vide supra Vat. Conc. in Thesi I. Deinde, aperte constat ex omnibus fidei symbolis: «Credo in unum Deum.»

2.<sup>o</sup> *Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est, (2);* quod in sacris legimus Litteris. Et alibi: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum (3), Nullus est Deus, nisi unus (4).*

18. 3.<sup>o</sup> Ens a se, seu necessarium, est unicum: ergo, unus est Deus. *Ant. pr.* Si homo foret hic singularis homo (Petrus), *quia homo est* praecise et formaliter; unus tantum et singularis esset ho-

(1) Disp. XXX, sec. II, nn. 24, 25. — (2) Deut., VI, 4: 1, Paral., XVII, 20. — (3) Jo. XVII, 3. — (4) I Cor. VIII, 4.

mo. Sed ens a se est hoc singulare ens a se, *quia est ens a se* praecise et formaliter: ergo unum tantum est ens a se, seu necessarium.

*Min. pr.* Quidquid existit est necessarium et formaliter hoc singulare ens, ut ex Metaphysica supponimus; quia repugnat aliquid existere et esse commune pluribus. Sed ens a se, praecise et formaliter ut tale, est existens: ergo ens a se est hoc singulare ens a se, *quia est ens a se* praecise et formaliter.

Confirm. Ponamus esse plura entia necessaria, quemadmodum et plures sunt homines. Sicut concipimus hominem in communi praecisis singularibus (Petro, Paulo...), a pari concipere oportebit ens necessarium, praecisa *formaliter*, idque exigente ipsa essentia entis necessarii, quavis ejusdem singularitate. Atqui quod praecisa quavis singularitate concipi debet, est quid commune et indifferens; communitas et indifferentia ad singularitatem repugnat cum re existente: ergo in data hypothesis concipitur ens necessarium *non existens*; quod est aperte absurdum.

19. Objic. Homo existere nequit quin sit singularis homo, non tamen praecise *hic homo*; sed aut *hic*, aut *iste*, aut *ille* singularis. Ergo a pari; ens necessarium postulat esse singulare ens, non tamen *hoc*, sed vel *hoc*, vel *istud*, vel *illud* ens necessarium singulare et individuum.

Resp. Dist. *ant.* et inde patebit disparitas, ratioque supra facta magis elucebit.

Cum dicitur, *ut homo existat*, duplex confunditur idea, et inde argumenti fallacia; significantur, nempe, simul essentia hominis et existentia, seu essentia *ut actuata*.

Ut homo existat exigit *vi essentiae* esse singularis homo; nego *ant.* Exigit *vi existentiae*, seu essentiae actuatae, esse singularis homo; conc.

Nam homo, et quodlibet ens contingens, est ex essentia sua indifferens ut existat vel non existat, et quod actuatur ortum ducit ex efficientia extrinseca. Solum ergo interveniente causalitate externa exigit homo esse *singularis homo*, aut *hic*, aut *iste*, aut *ille*, quia haec differentia ad talem essentiam nihil refert. *Actuata* autem essentia, seu facta, erit aut *hic*, aut *iste*, aut *ille* singularis homo; ita ut si fuerit *hic*, repugnet esse *ille*, aut *iste*, et vice versa.

Jam vero ens necessarium per essentiam suam formaliter est in actu, ideoque essentia et existentia sunt omnino idem, quavis subblata indifferentia et indeterminatione. Quod ergo ens necessarium sit *hoc singulare* ita ad ipsius spectat essentiam, ut hanc plane evertat quaevis cogitata indifferentia ut sit vel *istud*, vel *illud* singulare. Cum igitur quis sibi illudit fingens in mente sua, quod ens a se



exigit et potest esse *hoc* vel *istud* vel *illud* singulare ens, contradictorios innectit conceptus, scilicet *indeterminationis* ac indifferentiae cum absoluta et essentiali *determinatione* entis a se.

### THESIS VII.

Ens necessarium est suum esse, ipsum esse, primum esse, actus purus per essentiam.

20. Nota 1. Haec thesis est corollarium praecedentium, unde sufficit indicare quomodo ab illis decurrat.

II. Juxta mentem D. Thomae, *esse* significat existentiam, seu actualitatem, seu terminum oppositum statui potentialitatis. «Ipsum *esse* est perfectissimum omnium; comparatur enim *ad omnia* » ut actus; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est: unde » ipsum esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum; unde *non comparatur* ad alia sicut recipiens ad receptum, » sed magis sicut receptum ad recipiens » (1).

Haec Angelici Doctoris unica verba verissimam de natura existentiae referunt doctrinam; et genuinam ipsius mentem, de qua multum disputatum est et disputatur, nobis aperiunt.

21. Pars I.<sup>a</sup> Ens necessarium est suum esse per essentiam.

1.<sup>o</sup> Si enim ens necessarium non *esset* per ipsam suam essentiam formaliter, *compararetur* haec ad *esse* ut recipiens, ut determinabilis. Atqui est in terminis contradictio, ut vidimus in thes. praec., quod ens necessarium concipiatur ut determinabile, et indifferens: ergo est suum esse per essentiam.

2.<sup>o</sup> Si non *esset suum esse* entis necessarii essentia, aliunde ei adveniret: illud autem unde adveniret *esse*, a fortiori *esset*, et a se *esset*, et necessarium *esset*; ergo fingitur duplex ens necessarium et a se.

22. Pars II. Ens necessarium est ipsum esse per essentiam.

Prob. Cetera omnia entia nequeunt *esse*, seu, reduci ad actum, nisi per ens necessarium; «Cum ens in potentia non reducat ad actum, nisi per aliquod ens in actu» (2).

Ergo ab *esse* entis necessarii fluit *omne esse*: sicut ergo est *suum esse* per essentiam, ita est *ipsum esse*.

23. Pars III. Est *primum esse* per essentiam in quolibet realis prioritatis ordine. Nam in quolibet reali prioritare, quod prius est, sicut per *esse suum* est, ita per *esse suum* est prius.

(1) I. p. q. 4, a. 1, ad 1.<sup>o</sup> — (2) Sum. theol. I. p. q. 4, a. 1, ad 2.

Sed per *esse* entis necessarii determinantur ad esse omnia alia entia: ergo Deus est prior per *suum esse* in quolibet reali prioritare. Atqui est *suum esse* per essentiam. Ergo et est *primum esse* per essentiam in quolibet reali prioritare.

24. Pars IV. Ens necessarium est *actus purus* per essentiam.

Quaelibet potentialitas respectum habet ad *aliquod esse* tamquam ad *actum suum*; ut enim supra ex D. Thoma notatum est. «esse est actualitas omnium rerum». Sed ens necessarium est *suum esse* per essentiam, imo *ipsum esse*: ergo per suam essentiam excludit omnem potentialitatem, seu est *actus purus*.

Confirm. Si *esset* ens necessarium aliquo modo in potentia, actus ille ad quem *esset* in potentia, ab ipso ente necessario fluere deberet, cum sit *primum esse* per essentiam in quolibet ordine reali. Ergo simul foret *in actu* dum supponitur *esse in potentia*. «Cum » ens in potentia non reducat in actum nisi per aliquod ens in » actu » (1).

25. Objic. 1.<sup>o</sup> Ens contingens creatum est etiam *suum esse* per essentiam: atqui tamen per essentiam suam est indifferens ac indeterminate ad esse vel non esse. Ergo ut ens necessarium sit omnino determinatum ad esse, non opus est nec juvat quod sit *suum esse* per essentiam.

*Maj.* prob. Vel *esse* entis creati distinguitur realiter ab essentia, vel non. Si non distinguitur; patet quod sit *suum esse* per essentiam. Si autem distinguitur, est duplex realitas actualis in ente creato; nempe, realitas existentiae et realitas essentiae: ergo est etiam duplex actualitas; «in his enim quae fiunt, tunc dicitur ali- » quid esse perfectum, cum de potentia educitur in actum (2), » ait D. Thomas. Si in ente ergo creato non *esset* duplex actualitas, sicut et duplex realitas, vel una vel altera realitas *esset* infecta et confunderetur cum Deo. Atqui hoc est absurdissimum; nam ens contingens tam secundum existentiam, quam secundum essentiam est eductum a nihilo. Ergo revera est duplex actualitas in ente creato; essentiae, nempe, et existentiae. Jam vero *esse* existentiae nihil aliud est quam ejus actualitas, et similiter *esse* essentiae; ut cum D. Thoma in 2.<sup>a</sup> nota praenotavimus. Ergo etiamsi in ente creato distinguatur existentia ab essentia, est tamen sine dubio *suum esse* per essentiam.

Resp. Dist. *maj.* primi syll. Ens contingens creatum est etiam *suum esse* per essentiam *absolute* inspectam; nego *maj.* Nam hoc

(1) Sum. theol. I. p. q. 4, a. 1, ad 2. — (2) Ibid. I. p. q. 4, a. 1, ad 1.



modo est indifferens per essentiam ad esse vel non esse, ideoque nequit esse *suum esse* per essentiam. Per essentiam ut actuatum; subd. Ens contingens creatum est suum esse per essentiam ut actuatum ab intrinseco; nego: ut actuatum ab extrinseco; concedo.

Scilicet, *esse* entis contingentis est creatum, seu ab efficientia extrinseca actuatum; ideo ei convenit quod sit per essentiam ab extrinseco quoque actuatum, seu effectam. *Esse* autem entis necessarii est increatum; proinde est per essentiam increatum, seu ab intrinseco actuatum.

Ad probationem autem, dico: distinctionem realem, quae fingitur et supponitur inter existentiam et essentiam, esse plane inutilem ad solvendam difficultatem, ut discursus ibidem factus ostendit. Vel enim realitas intrinseca essentiae est facta, vel non: si non est facta, erit Deus, et pantheismus inducitur: si autem est intrinsece facta, est intrinsece extra suam causam, id est intrinsece actuata, intrinsece existens; ideoque illa existentia realiter distincta plane inutilis evadit, quemadmodum argumento clarissimo D. Thomae argumentatur, adversus eos qui unitatem entis uti rem distinctam fingeant. «Si enim per aliquid aliud esset una quaelibet res, cum illud iterum sit unum, si esset iterum unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum. Unde standum est in primo» (1). Ita standum est in actualitate (seu existentia) intrinseca rei creatae.

26. Objic. 2.º Si ens necessarium est ipsum esse per essentiam, erit quodlibet esse, id est, omnia. Ergo pantheismus statuitur.

Resp. Dist. ant. Erit quodlibet esse eminenter et participatum; conc. Quodlibet esse formaliter et participatum; nego.

Inst. Eatenus ens necessarium esset ipsum esse, quatenus foret «esse subsistens non receptum» (2). Atqui entium contingentium esse non est receptum et est subsistens: ergo...

Resp. Dist. seu explico dictum D. Thomae: foret «esse subsistens, non receptum;» id est, non contractum, non participatum; conc. «Non receptum» in subjecto realiter distincto; nego, vel subd. Si id dicatur comparative, ut dicit D. Thomas (supra, Nota II); Conc. Si proprie et stricte; nego suppositum a mente D. Thomae et a veritate aequae alienum.

Scilicet, propria et stricta receptio locum habere nequit, nisi inter recipiens et receptum sit realis mutuaque distinctio; sic materia recipit formam, anima gratiam, mens scientiam. Ut autem comparative recipi aliquid dicatur, sufficit distinctio realis non mutua: hoc modo ens creatum recipit esse a Deo; antea quippe non erat, nunc vero est et quidem a Deo recipiens suum esse; hoc autem suo

(1) Sum. theol. p. 1, q. 11, a. 1, ad 1. — (2) Ibid. q. 7, a. 1.

reali esse, distinguitur realiter a non ente; non ens autem, cum sit nihil, nequit habere praedicatum reale. Quod si quis velit mordicus, contra apertam rationem, contendere, receptionem qualemcumque exigere realem distinctionem inter receptum et recipiens, velit nobis explicare, quomodo ipsam suam essentiam res creatae a Deo receperunt; vel neget essentiam esse receptam, et pantheismum arguemus.

27. Objic. 3.º Deus est suum esse et ipsum esse eminenter, non autem formaliter. Sed esse eminenter non excludit esse formaliter; nam divina essentia, continet Personalitates eminenter, simul et formaliter; ergo etiamsi Deus sit actus per essentiam quia est eminenter ipsum esse, poterit nihilominus in potentia existere ad aliquid esse formale.

Resp. Dist. maj. Deus non est formaliter ipsum esse, si hoc esse non sit purum, sed imperfectum; conc. Aliter; nego.

Dein dist. min. Esse eminenter non excludit esse formaliter, si istud sit imperfectum; nego. Si non involvat imperfectionem (ut Personalitates divinae), subd. Cum esse eminenter potest stare esse formaliter; identice, conc. Per unionem, seu interveniente aliqua potentialitate; nego.

## CAPUT II.

### De Dei attributis et essentia.

Quot sint inter theologos sententiae ad essentiam Dei definiendam postea notabimus: interim a notioribus aggredientes ostendemus praecipuas divinae essentiae perfectiones, quo praemisso, obscuriorem illam multo facilius enodabimus quaestionem.

#### ARTICULUS I.

#### De perfectionibus Dei positive significatis

##### THESIS VIII.

Esse divinum est substantiale, spirituale et intellectivum; seu Deus est substantia, spiritus purus, et intelligentia.

28. Tota propositio fide tenenda, et per partes probatur.